



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

V. Ne translatio electorum in Episcopos, post confirmationem, praeter assensum Romani Pontificis fiat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

magistrum non humiliter postulasse, sed improvidè potiùs elegisse, cum ad obtinendum dispensationis beneficium procedendum fuisset, non per electionem prohibitam, sed per postulationem permissam, electionem ipsam prædicti canonis auctoritate cassatam denuntiamus irritam & inanem, parcentes non modicum Wigornienfi Capitulo quòd eis nec penam infligimus expressam in canone supradicto nec probare cogimus innocentiam quam allegant. Et quamvis post cassationem hujusmodi nobis à multis fuerit humiliter supplicatum ut propter causas prædictas dignaremur cum eo misericorditer dispensare, cum ad dispensandum in talibus nullus se casus habilior posset offerre, quia tamen prædicto Capitulo liberam facultatem eligendi vel postulandi volumus reservare, supplicationem hujusmodi, quæ nomine Capituli non fiebat, cum non ad postulandam dispensationem sed petendam confirmationem ipsius fuissent Capituli nuntij destinati, ad præsens non duximus admittendam, decernentes irritum & inane si quid super ordinatione ipsius episcopatus ante susceptionem litterarum nostrarum fuerit attentatum. Volumus igitur & mandamus quòd per Cantuariensem provinciam ex parte nostra facias distinctiùs inhiberi ne quod de multis in eadem provincia, quod sine pudore non dicimus, inordinate noscitur esse factum, de cetero contra formam præscriptam nullatenus attentetur. Sed si Wigornienfe Capitulum eundem magistrum propter prærogativam meritorum ipsius duxerit postulandum, postulationem ipsius apostolicæ sedi præsentare procuret.

*IDEM BISVNTINO ARCHIEPISCOPO  
& suffraganeis ejus.*

Lib. 1. epist.  
523.

**C**um ad nostram nuper notitiam devenisset quòd H. qui se pro Abbate Luxoviensi gerebat, non antè fuerit monachus quàm electus, nos attendentes quòd contra regulares traditiones istud fuerit attentatum, cum nullus spem vel promissionem habens ut Abbas fiat debeat monachari, electionem de ipso factam de consilio fratrum nostrorum curavimus irritare. Quocirca mandamus quòd tam monachis quàm aliis fidelibus monasterij memorati studeatis ex parte nostra districtiùs inhibere ne præfato H. ullam obedientiam vel reverentiam propter

jamdictam electionem audeant exhibere. Et si quid in eodè monasterio disponendo perperam attentavit, nullius volumus habere robur firmitatis, sed penitus irritari.

*IDEM ROTHOMAGENSI  
Archiepiscopo.*

**P**er nostras postulasti litteras edoceri Lib. 1. epist.  
264. utrum clericus aliquis ad vacantem Ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, se ipsum si idoneus est, valeat præsentare. Cum igitur nullus se ingerere debeat ad ecclesiasticæ prælationis officium, inquisitioni tuæ taliter respondemus quòd nullus se possit ad personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscumque studijs & meritis adjuvetur.

*IDEM CAPITULO PENNENSI.*

**Q**uoniam electus à vobis ante confirmationem obtentam amministrationi episcopatus se irreverenter immiscevit, & tam à Clericis quàm à laicis juramenta recepit, non attendens quòd, secundum Apostolum, nemo sibi debeat honorem assumere, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, nec donum scientiæ Pontificis conveniens fuerat assecutus, cum juxta verbum dominicum *Qui fecerit & docuerit, magnus vocetur in regno caelorum*, postquam nobis eundem præsentastis electum, sufficienti examinatione præmissa, electionem de ipso factam, exigente justitia, duximus irritandam.

**TITULUS V.**

Ne translatio electorum in Episcopos, post confirmationem, præter assensum Romani Pontificis fiat.

*Idem Decano & Capitulo Andegavensi.*

**I**nter corporalia & spiritualia eam Lib. 1. epist.  
532. cognovimus existere differentiam, quòd corporalia faciliùs destruantur quàm construantur, spiritualia verò faciliùs construantur quàm destruantur. Unde juxta canonicas sanctiones Episcopus solus honorem dare potest, solus auferre non potest. Episcopi quoque à Metropolitanis suis munus consecrationis recipiunt, qui tamen non possunt nisi per Romani Pontificis sententiam condemnari. Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quàm carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale conju-

Cap. Episcopu.  
dist. 67.

gium quod est inter Episcopum & Ecclesiam suo tantum iudicio reservaverit dissoluendum, qui dissolutionem carnalis conjugij quod est inter virum & feminam suo tantum iudicio reservavit, precipiens ut quod Deus conjunxit homo non separet. Non enim humana sed divina potius potestate conjugium spirituale dissolvitur cum per translationem vel depositionem aut etiam cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removeretur. Et ideo tria hæc quæ præmisimus, non tam constitutione canonica quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata. Sicut autem Episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic & electus confirmatus præter ejus assensum suam deferere nequit Ecclesiam, cui est matrimonialiter alligatus, cum non debeat in dubium revocari quin post electionem & confirmationem canonicam inter personas eligentium & electi conjugium sit spirituale contractum, cui profectò episcopalis dignitas nil addit, cum quis episcopali præditus potestate, nullius tamen Ecclesiæ possit Episcopus esse. quemadmodum de illo contingit qui oneri pontificali renuntiat, non honori. Unde cum non majus sit vinculum Episcopi ad Ecclesiam quam electi, maximè cum fuerit confirmatus, immo idem penitus & non aliud, idem jus obtinet in utroque. Sicut ergo Episcoporum translatio vel etiam depositio, sic & electorum cessio post confirmationem ratione spiritualis conjugij soli Romano Pontifici reservata. Licet usque ad tempora ista quod cautum fuerat de Episcopis, expressum non fuerit de electis, propter expressam tamen similitudinem vel identitatem potius, nemini poterat videri dubium subtiliter in tuenti, cum idem iudicium de similibus sit habendum. Sed neque illud quod in canone legitur de electo, ut si ultra v. menses per suam negligentiam retinuerit Ecclesiam viduatam, nec ibi nec alibi consecrationis donum percipiat, immo Metropolitanus sui cedat iudicio, aliter intelligentibus poterat suffragari, cum non intelligatur Ecclesia viduata quasi sponsum non habeat, sed quia cum sponso ejus nondum sit consecratus, adhuc quoad quædam quasi viri manet solatio destituta. Sicut juxta communem mo-

dum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata quæ licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Nec quod de cessione subsequitur, & statutum fuit ad penam, trahi debet ad gratiam, ut sicut Metropolitanus iudicio electus deicitur, ita etiam ad aliam Ecclesiam possit transferri, præsertim cum nec sine auctoritate Romani Pontificis fiat cessio vel dejectio memorata, qui ut possent, ex canone illo, Metropolitanus indulget. Unde si circa translationem idem fieri voluisset quod de cessione duxerat, & de translatione poterat expressisse, & quod non est sanctorum patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adventionibus præsumendum; præsertim cum nunquam intelligatur prohibitum quod non invenitur expressum. Sanè nos &c.

*IDEM BITURICENSI  
Archiepiscopo.*

**N**E si universis universa licerent, par Lib. 1. epist. 117.  
videretur in singulis iurisdicção singularum, & ex hoc Petri navicula sine remige fluctuaret, Dominus noster eam ad similitudinem humani corporis figuravit, ponens Romanam Ecclesiam caput ejus, & ad suum & ipsius obsequium ceteras secundum varia officia dignitatum ei pro membris adaptans, non ut omnia membra eundem actum haberent, sed dum permanerent in unius corporis unitate, sic ad implendam legem Christi alter alterius onera supportaret ut capiti suo, in quo est plenitudo sensuum, suis vicibus deservirent, nec ejus sibi officium alicujus præsumptionis audacia usurparet. Hujus autem Domini & magistri omnium magisterium sancti patres diligentius attendentes majores Ecclesiæ causas, utpote cessiones Episcoporum & sedium translationes, sine apostolicæ sedis licentia fieri vetuerunt, ut ea quæ sola obtinet plenitudinem potestatis de his disponeret, nec liceret alicui de episcopatu ad episcopatum sine ipsius auctoritate transire. Quod venerabilis frater noster Turonensis Archiepiscopus minùs quam honori suo expediret attendens, posuit sedem suam quodammodo ad aquilonem, & patris thalamum violavit, Magistrum W. de Chimilegio, qui in \* Albricensi Ecclesia electus fuerat, & \* Abrintensi, per Metropolitanum suum postmodum confirmatus in ea diutius ministravit, in Andegavensem Ecclesiam transferre præ-

Vide lib. 1.  
epist. 447.

sumens & in ipsa Episcopum præter auctoritatem sedis apostolicæ consecrare, cum dubium esse non debeat quod post electionem & confirmationem episcopati Albricensi sacramentali conjugio fuerat alligatus, ac per hoc secundum Apostoli verbum quærere solutionem non debuit nisi tantum ab eo quem illius constat esse Vicarium qui dicit in evangelio, *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Unde idem quoque magister de Chimeleio hujus non est credendus præsumptionis immunis, qui sponte passus est taliter se transferri. Ne igitur tanta præsumptio remaneat impunita, & ex hoc accrescat aliis audacia delinquendi, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus licet hoc factum videatur esse notorium, quod etiam ipsius Archiepiscopi nunciij non præsumserunt in nostra præsentia diffiteri, ad abundantio tamen cautelam inquisita diligentius veritate, si verum est quod asseritur, dictum Archiepiscopum à confirmatione, & consecratione Episcoporum, memoratum verò W. à pontificalis officij executione, donec super hoc aliud statuamus, omni contradictione & appellatione cessante, auctoritate nostra suspendas. Inquiras præterea diligentius veritatem si venerabilis frater noster Rothomagensis Archiepiscopus dictum W. ut sic transfret absoluit. Quamvis hoc ipsum non videatur aliqua posse tergiversatione celari, cum ipsius nobis litteræ fuerint præsentatæ, per quas eum liberum & absolutum ad regimen Andegavensis Ecclesiæ transmittebat. Et si præmissis veritas suffragatur, eundem Archiepiscopum pari pœna cum alio percellere non omittas, ne sit immunis à pœna qui non est alienus à culpa. Sicut enim aliorum jura volumus illibata servare, sic jura nostra nolumus violari, cum caritas exigat ordinata ut post Deum primò nos ipsos ac deinde proximos diligamus. Illud autem in defensionem erroris & excusationem excessus nemo debet inducere quod sanctæ memoriæ Pelagius Papa constituit inquit inter cetera: *Si consecrandi Episcopi negligentia, provenerit ut ultra tres menses Ecclesia viduata consistat, communionem privetur quousque aut loco cedat aut consecrandum non differat se offerre. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit viduatam Ecclesiam, nec ibi nec alibi consecrationis donum perci-*

Cap. Quoniam  
dist. 100.

piat, immo Metropolitanis sui iudicio cedat. cum rectè intelligenti dubium esse non debeat quin in alio casu loquatur, ne fortè quod est statutum ad pœnam trahatur ad gratiam si per hoc Metropolitanis liceret eum quem electum in Episcopum confirmaverat, ut ad majorem episcopatum transfret absolueret. Sed & hujusmodi cessio, quæ potius est dicenda dejectione, non fit sine Romani Pontificis concessa licentia, cujus fines nemini licet excedere, qui per illam constitutionem Metropolitanis indulget ut eos qui consecrari contempserint post præfinitum tempus ex illius constitutionis licentia possint deicere, ut nunquam de cetero valeant consecrari. Nec dicitur Ecclesia viduata quasi sponsum non habeat, sed quia cum sponsus ejus nondum fuerit consecratus, adhuc quoad quædam quasi viri manet solatio destituta. Ne verò novè aliquid statueret super hoc videamur, quod contra venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Antiochenum & L. Tripolitanum dictum Episcopum in simili casu sedes statuit apostolica præsentibus litteris fideliter duximus exprimendum. ANTI OCHENO Patriarchæ. Cum ex illo generali privilegio quod beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulget canonica postmodum manaverint instituta continentia majores Ecclesiæ causas esse ad sedem apostolicam perferendas, ac per hoc translationes Episcoporum, sicut depositiones eorum, & sedium mutationes, ad summum apostolicæ sedis antistitem de jure pertineant, nec super his præter ejus assensum aliquid debeat attemptari, miramur non modicum & movemur quòd tu, prædecessoris tui exempli secutus, qui motu propriæ voluntatis Mamistanensem in Tharsensem dicitur transfulisse, quondam Apamiensem electum in Tripolitanam Ecclesiam transfulisti, nec tibi suffecit dicti prædecessoris tui præsumptionem solummodo imitari, immo etiam in injuriam nostram ipsius transgressus excessum, novo quodammodo promotionis genere parvificasti majorem, & magnum quodammodo minorasti, episcopare Archiepiscopum immo potius dearchiepiscopare præsumens, cum dictus prædecessor tuus dictum Archiepiscopum de Tharsensi Ecclesia in Ecclesiam transfulerit similis dignitatis. Licet enim dictus L. nondum fuisset in Archiepiscopum consecratus, confirmationis

Lib. 1. capit.  
50.

firmationis tamen munus receperat, & archiepiscopalia, quantum ei licuerat, ministrarat; sicut ipsius relatione nobis innotuit, qui se Valeniensem Episcopum, cum in nostra esset presentia constitutus, asseruit confirmasse. Ne igitur perpetrandi similia ceteris audacia præbeatur si tantus excessus relictus fuerit impunitus, te ab Episcoporum confirmatione duximus suspendendum quousque super hoc aliud statuamus. ] L. dicto Tripolirano Episcopo. Cum ex illo &c. ut supra usque movemur quod cum in Apamiensi Ecclesia in Archiepiscopum fuisset electus, & confirmatione suscepta, quantum tibi licuerat, archiepiscopalia ministrasses, sicut ex tua relatione innotuit, qui olim apud sedem apostolicam constitutus venerabilem fratrem nostrum Valeniensem Episcopum te confessus es confirmasse, in Tripolitanam te transferri fecisti, novo quodam promotionis genere non promotus, sed potius minoratus. Ne ergo perpetrandi similia ceteris audacia præbeatur si tantus excessus fuerit impunitus, te ab executione pontificalis officij duximus suspendendum donec super hoc aliud statuamus.

TITULUS VI.

Quod Metropolitanus ex justa causa potest vices suas in consecratione Episcopi suo suffraganeo delegare.

*Idem Turonensi Archiepiscopo.*

Quod sedem apostolicam consulis super his quæ dubia tibi existunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde fraternitas videtur merito commendanda, cum lex divinæ constitutionis eandem sedem totius posuerit orbis terrarum magistram, ut quicquid dubitatur ab aliquo, ab ea tandem ejusdem ratio requiritur. Nos siquidem decrevisti providè consulendos utrum si fortè aliqua infirmitate vel alia causa justa detentus aliquem suffraganeorum tuorum consecrare non posses, alicui coepiscoporum tuorum vices tuas licitum tibi committere esset, & utrum electus qui pro consecratione instaret, ab eo cui vices tuas taliter commissas deberet licitè consecrari. In quo tale damus tuæ consultationi responsum, quod in tali articulo constituto & tuas vices, ut dictum est, committere tibi licet, & consecrandus debet mu-

Tom. I.

nus consecrationis ab eo recipere cui eas duxeris committendas, dummodo catholicus habeatur & impedimentum ex subtractione gratiæ sedis apostolicæ non obsistat.

TITULUS VII.

Ne simplices Sacerdotes quæ solis Episcopis competunt ex consuetudine sibi usurpent.

*Idem Vicario apud Constantinopolim.*

Quanto de benignitate apostolicæ sedis locum obtines celsiorem, tanto tibi est sollicitius curandum ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram nec ad sinistram, quod non minus re quam nomine vices apostolicas gerere videaris. Pervenit sanè ad audientiam nostram quod quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea sacramenta præsumunt fidelibus exhibere quæ ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est sacramentum confirmationis, quod christi-mando renatis soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis & sui erroris fomentum solam consuetudinem præ-tendentes, cum diuturnitas temporis peccata non minuat sed augmetur, quæ tanto graviora existunt quanto infelicem animam diutius detinent alligatam. Volentes igitur hæc & alia quæ oculos divinæ majestatis offendunt de agro dominico extirpari, mandamus quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas ne talia de cetero sua temeritate præsumant, quæ licet non sint à fidelibus contemnenda, tutius est tamen ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere quam ab his quibus ea conferre non licet ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine gravi periculo inaniter conferantur, cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.



B B b b

Lib. 1. epist. 77.